

quippiam est et cogitabile intelligibili. Mens enim simplex et pri-
mum intelligens et intellectum huiusmodi autem est idea, quia
impartibilis et simplex et primum est aliorum. Archytæ quoque
testimonium adducit ex libro De mente et sensu, in quo haec
5 legebantur. *Sed hypotheses et principia et ascensum facit, donec ad*
principium in quacumque suppositione carens veniat, neque utitur ullo
*sensibili, sed ideis ipsis per se ipsas.*ⁱⁱⁱ etc.

Quae omnia videtur Plato transtulisse in 7. Rei publicae, uti
praecedente discussione vidimus. Iamblichus vero ibidem sub-
10 nectit. *Alterum intelligibile vere ens est id, circa quod Pythagorei ver-*
sabuntur et circulum intelligibilem et numerum idearum etc. Syrianus
quoque Commentariis, quae sola eius tam magni monumenta
habemus in libros 6. et 7. Sapientiae Aristotelis, haec ex Pytha-
15 goreanorum sententia retulit libri 2. commentario 1: *Divinus Pytha-*
goras et omnes, qui legitime illius dogmata purissimis sinibus suarum
mentium suscepereant, multos dicebant esse substantiarum gradus: in-
telligibilem et intellectualium, cogitabilem et naturalium aut omnino
vitalium et corporearum. Nam et rerum processus et connata processi-
20 *bus ipsis diminutio, quae ordine quodam divino perficitur, et vis diver-*
sitatis in generibus entis multitudinem continuam pariter et discretam
constituunt, incorporalium et sensibilia pereuntium substantiarum. Tres itaque in latitudine entium gradus esse dicebant: intelligibilem,
cogitabilem, sensibilem. Singulis vero ideas esse omniquaque quidem,
sed proprie ubique cum existentiae proprietate. Et intelligibles quidem

ⁱⁱⁱ Nije tiskano kurzivom i nema grčkog, ali je citat.